

Q. K.
367, 43.

(X 188 2569)

430

II n
493

A & Ω.

FLAVII JOSEPHI

De

VESPASIANIS AD SUMMUM
IMPERII FASTIGIUM EVE-
HENDIS

VATICINIUM

Dissertatione Historico-Critica
expendit,

*Eandemque Incluti Ordinis Philosopho-
rum benigno indultu,*

PRÆSIDE

M. GOTTFRIDO OLEARIO,

ad d. XX Jan. A. O. R. clō loc IC

publico examini subjiciet

frater ejus,

GEORGIUS PHILIPPUS OLEARIUS,

SS. Theol. Stud. & Magist. Candid.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ, stannò Götiano.



*SUMME REVERENDO & MA-
GNIFICO*

**DN. GEORGIO LEH-
MANNO,**

**DOCTORI THEOLOGO VETE-
RANO, IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFES-
SORI PRIMARIO, INGENUI PRÆSULATUS MISENENSIS
CANONICO, AD D. NICOLAI APUD LIPSIENSES PASTO-
RI & DIOECESEOS TOTIUS SUPERINTENDENTI, CON-
SISTORII ELECT. & DUC. ASSESSORI, COLLEGII MINORIS
PRINCIPUM COLLEGIATO & ACADEMIÆ DECEMVIRO.
VIRO DE ECCLESIA CHRISTI ET SINGULIS OFFI-
CIIS ISTIS IMMORTALITER**

MERITO,

**PATRONO SUO ET EX SALUTARI
BAPTISMI FONTE SUSCEPTORI
CUM OBSERVANTIA COLENDO,**

*GRATI DEVOTI QUE ANIMI TESTANDI CAUSA
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
CUM PROLIXO PRO INCOLUMITATE EJUS VOTO
MERITO*

SACRAS ESSE JUBET

GEORG. PHILIPPUS OLEARIUS.



I. N. J.

§. I.



LAVIO JOSEPHO tantum abest ut inter maximos suæ ætatis viros, insignem quem hæctenus obtinuit locum invidemus; ut potius ejus in rebus gerendis dexteritatem, in consiliis promptitudinem ac sagacitatem, & ubi manu ad ea exequenda opus esset, fortitudinem mirati, gentis suæ infelicitatem dirissimamque, sed effuso DEI sanguine provocata judicia ei obstitisse, quo minus ad summum in Republica fastigium eniti posset, impensissime doleamus. Et quamvis, infelicitatis maledictæ gentis particeps, offusam quoque illi caliginem eluctari adeo non potuerit, ut potius undiquaque scripta illius, maximeque omnium Archæologiæ, ea obsideri deprehendantur; justo minus tamen propterea pretium iiscum Saliano, Baronio, Allatio, & nescio quæ monstra nobis obtrudente nupero scriptore Joanne Harduino, statuendum non esse facile largimur, imo ipsi maximopere postulamus. Magni imprimis cum omni antiquitate facimus *Θεήλατον*, uti Isidorus Pelusiota appellare solebat, *περὶ ἀλώσεως ἰστορίων*, quæ auctori suo, teste Hieronymo, statuat Romæ, sibi vero locum in publica Bibliotheca peperit: Titi Vespasiani, cui in deliciis Josephus fuerat semper, utrumque dubio procul autoritate, maxime vero posterius. Si ipsi enim Josepho fides, Titus Imperator *ἔτις ἐκ μόνων αὐτῶν (περὶ ἀλώσεως βιβλίων) ἐβλήθη τὴν γνώσιν τοῖς ἀνθρώποις παραδῆναί τῶν πρᾶξεων, ὥστε χαράξας τῆ ἑαυτῆ χειρὶ τὰ βιβλία, δημοσιεῦσαι πρῶσέταξεν.* Cui loco varie a viris doctis explicato, quid prohibet quo minus aliquid lucis affundere hac occasione nitamur? Ita eum accepisse jam olim Nicephorum Viri docti existimarunt, ac si Titus Imperator

L. IV. Ep. 75.
Catal. Scr. Ec.
c. 13.

in vita sua
p. 1026.

L. II. c. 28.

ad Euseb. H.
E. III, 10.

sua manu describere Josephi de bello Judaico libros dignatus fuerit, sic enim ille, Josephi verba, uti videtur, ante oculos habens: Ἐπὶ δὲ αὐτῶν (ἰωσήφω) εἰς τὴν ἱερουσόλων σιωπᾶντα ἀλωσιν. ἕς λόγῳ ἔχῃ καὶ τὸν καίσαρα Τίτον ἰδίαις γεγραφότα χερσὶ δημοσιεύεσθαι πανταχῶς πρὸς ἀξίαν, καὶ τῇ ἐν Ῥώμῃ ἀναθέσθαι τῶν βιβλίων καταλεγεῖναι. Atque hunc genuinum verborum Josephi sensum esse Henricus Valesius contendit, infirmo nimis distinctionis argumēto subnixus. Quem ut probabilem reddat Nicephori interpres Jo. Langus, Suetonium accersit, cujus testimonio constat scribendi velocitate vel ipsos amanuenses suos Titum superasse. Verum ut largiamur vocem χαράσσειν trito loquendi usu eum sensum induisse, quem hoc loco ex Nicephori atque Valesii sententia sustinet, quo nusquam forte occurrit quam in veteri Epigrammate, in quo metri leges eam exigebant, λεπὸς τὰς ἐχάραξε δόναξ &c; minus tamen apte participium χαράξας cum verbo προσέταξεν, isto hoc loco admissio sensu, cohærebit: at vero ea proxime ad genuinum sensum accedere videtur haud dubie interpretatio, quæ nexum istum quam arctissimum reddiderit. Imo quid facit navata ab Imperatore in describendis libris istis opera ad publicam eorum receptionem & πρὸς ἀξίαν qua δημοσιεύσασθαι eos jussit? Accedit quod ignobilis librarii atque amanuensis opera, Tito, qui rectius breve imperii tempus publicis curis impendi noverat, iis vero defessum animum solidiore voluptate recreabat, demandari ægre admodum omnes patientur. Quod ipsum etiam Langum movisse videtur, ut Nicephori locum contra Græci textus fidem verterit, *quos fama fert Titum Cæsarem manuum suarum subscriptione publicari ubiq; jussisse*: Ruffinum nimirum secutus, qui simili ratione Josephi locum interpretatus fuerat: *Ipse sane Titus Imperator, adeo e solis illis libris cognitionem earum rerum homines petere voluit, ut sua manu subscriptos publicari jusserit*, quam explicationem plerique hodie amplectuntur. Verum eam quoq; si juveni clarissimorum Virorum pace eorū intercedere sententiæ licet, parum probabilem dixerim, partim ob eas quas jam tetigi rationes, partim quod ista quoque via Titi, qui in omnium manibus versari Josephi scripta volebat, scopo parum conducatur. Quid igitur si dicam de πρὸς ἀξίαν, h. e. de decreto quodam Titi Josepho sermonem esse, quo ille libros περὶ ἀλώσεως tanquam πάσης ἀποδοχῆς ἀξίους & cum ephemeridibus suis apprime convenientes publici juris fieri permiserit, fidemque iis adstruxerit publice. Istam

vero

vero *πρόσᾶξιν*, quod facere principes solent, *τῇ ἰδίᾳ χειρὶ ἐχάραξεν*, h. e. obsignaverat, fidemque & auctoritatem nominis sui subscriptione, propria manu peracta ei conciliaverat, quod nostris quoque moribus receptum est. Atque istud erat *σημεῖον Ἰπιστολῆς* vel *πρὸς ἄξεως*, & ut solenni magis ac ad hunc locum maxime spectante vocabulo utar, *χαρᾶκλῆς*: unde & *χαρᾶκλῆρα τὸν τῷ ὀνοματὶ τύπον* veteres Lexicographi interpretantur. A dignitate vero sua minime alienum Principes ista ætate putasse, scriptis hujusmodi commendatione sua auctoritatem addere, Imperatoris Caji exemplo etiam docemur, quem Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi, aliorumque historicorum scriptis, sub tyrannico Tiberio abolitis, vitam & lucem restituisse ex Suetonio discimus. Non male itaque forsitan ita Josephi verba transferres: *Adeo ex solis illis* (Josephi de bello Judaico libris) *hominibus rerum gestarum cognitionem impertiri* (Titus Imperator) *voluit, ut propria manu subscripto decreto ad publicos usus eos commendaverit*, distinctione post *χειρὶ* non post *βιβλία* collocata. Ast paulo longius a scopo nostro nos seduxit loci Josephi interpretatio: ut in orbem itaque redeamus, fuerit maxima Josephi in rebus civilibus prudentia, in periculis fortitudo, in rebus gestis exponendis fides, an vero prophético etiam dono eum insignem fuisse propterea largiemur? Inno vero, numquid Josephus etiam inter prophetas? quærentibus, atque paulo accuratius dispicientibus, apud omnes quibus veritas, aut studium saltem veritatis superstitiosa credulitate potior est, veniam nobis paratam fore confidimus.

§. II. Sane si inveteratæ opinionis auctoritas dubitandi sentientesque libertati apud bonæ mentis amantes præjudicare valeret, rectius omni ista opera abstineremus, cum dudum ipse Josephus Gentilibus pariter ac Christianis autoribus persuaserit, se divino quodam vestro percitum imperium Vespasianis prædixisse. Historiam oraculi illius prout ab ipso exposita, ab aliis vero avide arrepta fuit, paucis hic repetemus. Post expugnatam a Romanis Jotapatam, quam Josephus principatum in Galilæa eo tempore obtinens, stupenda pertinacia defenderat, nihil æque sollicitum Fl. Vespasiani animum tenebat, quam quod Josephum una cum urbe in potestatem suam haud pervenisse videret. Quemadmodum enim ea vel potissima ei obsidendæ ob-

Etym. M.

IV, 16.

Jof. de B. J.
L. III.

c. VII. p. 839.

tanta sanguinis profusione partæ, fructum periisse existimabat, ubi cum victoris militis manibus elapsum esse persensisset. Non destitit tamen illum indefessa solertia investigare, donec tandem & inter cætorum cadavera, & intra fugientium latebras frustra quæsitum, mulier captiva proderet, in spelunca quadam cum XL aliis fortissimis viris factorum decreta præstolantem. Lætus Vespasianus tam fausto nuntio Paulinum & Gallicanum Tribunos mittit, persuasuros Josepho, ut prodire ex latebris istis, Romanorumque experiri clementiam audeat. Verum ille, perfidis armis illatarum Romanis legionibus cladium sibi conscius, atque ad pœnas promeritas non ad veniam sese evocari metuens, blandas invitantium voces tamdiu repudiabat, donec tertium Vespasianus Nicanorem mitteret, veteris amicitia nexu Josepho conjunctum. Ejus vehementissimæ preces, militumque Romanorum, ignem speluncæ immittere volentium minæ, nocte oblata Josepho somnia, quibus de futuris Judæorum calamitatibus, Romanorumque Principum fatis monitus fuerat, ei in mentem tandem revocarunt. Quæ cum divinitus sibi obtigisse nullus dubitaret, somniorum oraculorumque divinorum insignis, uti videri cupit, interpretes, & in propheticis scriptis, generis, quo sacerdotali natus erat, privilegio egregie eruditus: atque insuper in mandatis haberet, effari apud Romanos, quæ divinitus revelata vidisset; cedere tandem Nicanoris monitis cœpit. Verum hoc quidem vix senserant mente a Josepho agitari, quos eadem cum illo latebræ tegebant, milites Judæi, cum indignum rati in manus hostium pervenire Judæorum Ducem, gladios ei intentarent omnes, mortem & sibi & Duci præoptandam esse clamitantes. Quos cum ille, ne revelationum quæ sibi obtigerant proditor evadat, si antequam eas edidisset, fatis concederet, metuens, composita ad persuadendum oratione ab instituto revocasset, nec tamen persuaderet; sorti mutua cæde commissa, solus cum socio denique superstes, a Nicanore, cui se permisit, ad Vespasianum abductus fuit. A quo arctissime custodiri jussus, atque Neroni, ut in triumpho forsan Imperatoris quadrigas sequeretur, destinatus, tum demum tempus esse ratus fuit, quo oraculis suis expositis, istam a se ignominiam imo etiam vitæ periculum, quod maximum apud Neronem, acerbissimum Judæorum hostem, ipse, qui tantopere Judæorum res hæcenus fulcivisset, non incurrere non poterat, depelleret. Id igitur ut privatim a Vespasiano audiretur consecutus: Josephum, inquit,

p. 582.

p. 854.

inquit, Vespasiane, captivum ultro in potestatem tuam pervenientem tenere te arbitraris : verum Nuntius DEI tibi venio, maximarumque rerum interpretis. A Deo enim nisi missus fuisset, an Judæorum moris, mortisque quam expetere Imperatorem decet, immemorem me futurum fuisse existimas? Ad Neronem me ablegare constitutum tibi est. Quid ita vero? an brevi ipsi dandos, usque dum ad te imperium perveniat, successores, diu superstites fore persuasum habes? Tu Cæsar es Vespasiane atque Imperator, Tu inquam & filius hic tuus: arctioribus itaque vinculis me constringi jubeto, tibi que servato. Non enim meus tantum o Cæsar Dominus es, sed omnis, qua late patet, terræ atque oceani, & universi mortalium generis. Ego vero arctiori vel ideo includendus sum custodia, ut ad pœnam paratum me habeatis, si Deo posthabito tempore inservire deprehenderitis.

§. III. Hæc fere oraculi, per Josephum Vespasiano Imperatori redditi, summa atque occasio. Antequam tamen pergamus ulterius, in duobus Josephi locis ad hanc historiam pertinentibus, ratio reddenda erit, cur a vetere interprete Ruffino discefferimus. Uterque orationis Josephi ad Vespasianum lacinia est, quorum priorem *σύ μὲν βεσπασσιανὲ νομίζεις αἰχμάλωτον αὐτομόλον εἰληφέναι τὸν ἰώσηπον* ita vertit Ruffinus: *Tu quidem Vespasiane tantum hoc putas, Josephum te habere captivum, αὐτὸν μόνον pro αὐτομόλον substituens, quam* lectionem etiam exhibet Codex Ms. Academiae nostræ, qui asservatur in Bibliotheca Paulina. Verum a sciolo quodam esse istud *αὐτὸν μόνον* vix dubitare ausim, cui cum aliquid malignitatis habere videretur *αὐτομόλος* vox, (quæ certe proditiōis crimen significatu suo necessario non complectitur, atque hic aptissime ad flectendum Vespasiani animum adhibetur, utpote cujus potestatem clementiæ ejus confisum, non absoluta necessitate, quam commilitonum suorum exemplo evitare potuerat, coactum sese pervenisse, ea ipsa voce Josephus insinuat;) ex elegantissimis Græcis vix ac ne vix quidem Græca facere visum fuit. quod neminem Græce doctum facile poterit fugere, si integram sententiam expendere velit: *σύ μὲν βεσπασσιανὲ νομίζεις αἰχμάλωτον αὐτομόλον εἰληφέναι τὸν ἰώσηπον, ἐγὼ δὲ ἄγγελος ἦκω σοι μεζόνων,* quæ prorsus si quidquam ego video enervatur, omnemque suum amittit nitorem si *αὐτὸν μόνον* pro *αὐτομόλον* substituas. Alter locus in cuius explicatione veterem Interpretem deseruimus iste est: *ἐγὼ δὲ ἵπτι*

τιμω-

τιμωρίαν δέουσαν φερεῖς μείζονα, εἰ καλαχεδιάζω ἢ Θεῷ. Ruffinus
 ita: *me autem ad majorem pœnam custodiri oportet, si ex tempore & subit-*
to in Dominum ista confingo. Perperam ad Vespasianum referre vide-
 tur illa, quem Dominum in præcedentibus Josephus salutaverat, eique
 ex falso imputata Josepho mente Θεῷ appellationem tribuere, cum no-
 men pariter ac totam hanc sententiam ad ipsum summum Deum omni-
 no pertinere sit evidens. Sane enim nondum imitabantur illa ætate
 Principes Caji Caligulæ vesānam impietatem, ut Dei nomine compel-
 lari vellent, ab iis præcipue quibus religio sua id non permetteret, nec
 forsan post eum ante Aurelianum quisquam Imperatorum Romano-
 rum Dei titulum usurpavit. Et licet omnia ista aliter sese haberent,
 Fl. Vespasiano tamen Dei nomen, qua ratione ea, qua tum erat, condi-
 tione tribui potuerit, non videmus. Quid impedit itaque quo minus
 de Deo, cujus imperio Vespasianus quoque parebat, Josephi locum in-
 terpretemur, ἢ καλαχεδιάζεν ille existimandus erat, si pro ejus nun-
 tio veteratorie sese, suaque nugamenta pro divinis oraculis venditaret,
 ut hac ratione ad Vespasiani gratiam, in istis angustiis constitutus, sese
 insinuaret.

§. IV. Ut vero ad vaticinium Josephi redeamus, non solus ipse
 ejus memoriam nobis conservavit, verum alii quoque istorum proximo-
 rumque temporum Historici, quorum diversa in nonnullis a Josephi re-
 latione narratio, uti evidenti argumento est, ex Josepho hausta non esse,
 quæ de illo tradiderunt, ita incertam de ipso vaticinii tenore famam
 obtinuisse clarissime evincunt. Nec dubium esse potest, ipsum etiam
 Josephum, eadem prorsus, quibus apud Imperatorem usus fuerat verba,
 in libris suis haud consignasse, quæ dudum memoriæ ejus procul dubio
 exciderant, ut adeo aliis in eorum locum substitutis, speciosiore forsan
 facie, quam qua primum ab eo prolatum fuit, oraculum istud hodie
 compareat. Quod tanto magis fit probabile, quod genuinorum quoque
 Dei oraculorum simplicitati, coloribus suis atque pigmentis subvenien-
 dum esse haud raro putaverit. Nec facile proinde fuerit dictu, an vul-
 gator fama, quæ simplicius rerum eventus narrare solet, an Josephi ora-
 tio, variis, quod post eventum difficile non fuit, ornamentis compta, propi-
 us ad rem, prout gesta fuit, accedat. Simplicissima est narratio Suetonii,
 qui pro more suo ostenta, quibus imperium Vespasiano portendebatur,
 L.VIII. c. 5. recensens, *unum ex nobiles captivis Josephum, cum conjiceretur in vin-*
cula,

cula, constantissime asseveravisse ait, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore. At nihil de sua liberatione Josephus, a quo longius etiam abit Dio Cassius, eumque secutus in Epitome Xiphilinus, qui Josephum a Vespasiano captivum actum, atque vinculis constrictum, inter risus dixisse ajunt, *νῦν μὲν με δήσεις, μετ' ἐνιαυτὸν δὲ λύσεις ἀσποκράτωρ*. Quæ si omni ex parte fidem meretur narratio, insignem vaticinii hujus arguit errorem, cum integrum biennium post Jotapatæ excidium atque Josephi captivitatem abierit, antequam Vespasianus Principis in Romana republica locum obtineret. Kalendis Julii enim anni Neronis XIII, qui fuit Christi juxta æram communem 67, expugnata Jotapata ipso Josepho teste fuit. In Vespasiani vero verba Alexandria Tiberius Alexander, Præfectus Ægypti, legiones suas adigebat Kalendis Juliis anni Christi 69, quas die V ante Nonas Jul. Judaicæ legiones, apud quas præsens Vespasianus tum erat, secutæ fuerunt. Verum isto argumento urgere Josephi vaticinium nos quidem nolimus, tantum enim prudentiæ ei, callidissimo homini, fuisse non dubitamus, ut temporis, quo eventum nacturum esset oraculum ejus, limites distinctè præfinire omiserit, quos proinde ex suo ingenio, vel ex pervulgato rumore, κατὰ πλάτῃ accepto isto μετ' ἐνιαυτὸν, Dio Cassius descripsisse videtur.

Dio. L. 66. p. 746.
Xiph. p. 216.

de B. Jud.
c. 23. p. 849.

Sueton. L. VII.
c. 6.

§. V. At propius ad rem accedendum, atque id attendendum ante omnia est Josephum istam, quam jactat, de Vespasiano imperii gubernaculis admovendo revelationem, non tanquam singularem aliquem *ἰσχυρῶς* Spiritus prophetici, quæ semel forsan aut rarissime sibi in vita obtigerit, fructum repræsentare: sed familiarem plane sibi istam cum Deo per somnia conversandi rationem esse tradere, apertissimeque propheticum donum perpetuum sibi esse affirmare. Duo id manifeste loca evincunt, quæ sibi invicem junctæ, dubitare nos haud sinunt eam de se Josephum apud lectores suos opinionem excitare voluisse. Cum enim post multas hæsitaciones in quas Nicanoris, deditionem suadentis, sermonibus conjectus fuerat, recordatione somniorum suorum, quibus futura Judæorum, Principumque Romanorum a Deo sibi revelata fuerant fata, confirmatum se tandem fuisse narrasset; aperte ait, interpretendorum somniorum, & oraculorum divinorum peritum sese esse, sacrorumque etiam librorum, prophetiæ maxime, sibi patere sensus: atque eo ipso quoque momento, divino enthu-

B

sialmo

P. 454.

Gen. XL, 8.

Dan. IV. 5.

fiasmo correptum, ad Deum preces fudisse. Forſan ipſa ejus verba au-
 dire juvabit. Ἦν δὲ inquit (ἰώσηπ) περικρίσεις ὀνείρων ἱκανὸς
 συμβαλεῖν τὰ ἀμφιβόλως ὑπὸ τῶν θεῶν λεγόμενα. τῶν γε κῆν ἱερῶν
 βιβλῶν ἐκ ἡγνότητος τὰς προφητείας, ὡς ἂν αὐτὸς τε ὢν ἱερεὺς καὶ ἱερέων
 ἐκγονός, ὅς ἐπὶ τῆς τότε ὥρας ἐνθὺς ἤρρόμην, καὶ τὰ φρικώδη τῶν
 προσηφάτων ὀνείρων σπάσας φωνήματα, προσηφῆς τῷ θεῷ λελη-
 θῆαι εὐχήν. Post hæc vero cum ad Vespasianum perductus oracula ſua
 apud eum jam edidiſſet, fidem tamen non adeo facile inveniret, interro-
 gante ex Imperatoris amicis nonnemine, quid ita, ſi futura prædicendi
 polleret facultate, non Jotapatensibus etiam excidium ſuum, ſibi vero
 quæ nunc ferret vincula atque captivitatem prædixerit? prædiſſe
 omnino ſeſe Joſephus dixit, ex captivorum numero nonnullis teſtibus
 appellatis. Quam relationem quid nobis ſuſpectum faciat aperiemus
 deinceps, jam enim ideo tantum ejus mentionem facimus, ut exinde in-
 habitantem ſibi futura canendi gratiam Joſephus jactitaſſe pateat, cui ſi
 id perſuadendi animus non fuiſſet, alia potius quacunque, quam iſta ra-
 tione, hæſitanti Veſpaſiani amico ſatiſfeciffet. Diſtincte vero omnia
 quæ ad prophetandi donum pertinent ſibi tribuit. Patefactionem ni-
 mirum rerum occultarum, quam non propriæ indiſtriæ, non aliorum
 relationi, ſed divinæ revelationi ſe debere profitetur. Modumque re-
 velationis ſibi factæ diſtincte deſcribit, per phantaſiam ſibi eam, & qui-
 dem non in viſione, ſed in ſomno obtingere ſolere innuens. Imo for-
 ſan etiam per intellectum, eo enim referendum eſſe videtur, quod inter-
 pretandis ſomniis, obſcurisque Dei oraculis, maxime vero iis, quæ libris
 Prophetarum gentis ſuæ continentur, idoneum ſe eſſe dicit, quod ſine
 immediata ἐλάμψη, a Spiritu Dei, menti Prophetæ illapſo, profecta, ſie-
 ri non poſſe, in hoc genere prophetiæ facile princeps, Joſephus Patriar-
 cha nos docet. Nonne apud Deum, inquiens, interpretationes ſomni-
 orum? vel ut eleganter LXX: ἔχι διὰ τῶν θεῶν ἡ διασάφησις αὐτῶν ἐſτι;
 Quod adeo verum eſt. ut ne ſibi ipſi quidem oblata viſa, ſine miſſi a Deo
 interpretis auxilio Daniel aliique Prophetæ potuerint intelligere, quos
 proinde a ſpiritu ſanctorum Deorum, arcanorum hujusmodi interpre-
 tationem habere Gentiles quoque Reges agnoverunt. Cum autem
 Prophetia conſiſtat non tantum in revelatione, verum etiam in agitatio-
 ne divina, qua impulſus Vates, ea quæ a Deo didicerat, aliis tradere ſolet,
 ea quoque non caruiſſe Joſephus noſter videri cupit. Qui non interno
 tantum.

tantum Spiritus impulsu, ad annuncianda ea, quæ divinitus edoctus fuerat, incitatum sese fuisse innuit; quid aliud enim sibi vult ille ἐνθουσιασμός, quo correptum sese fuisse, audita Nicanoris oratione, dicit? Verum etiam expresso mandato, quod internus impulsus non sequi non potest, ut id faceret impositum sibi fuisse ait; quid enim sibi volunt verba illa, quibus velum mortis metui, qui eum invaserat, honeste obtendit: δέισας δὲ τὴν ἔφοδον οἰώσῃωσθαι καὶ προδοσίαν εἶναι ἢ γὰρ μὴ τῶν τῶν θεῶν προσαγμάτων εἰ προαποθάνοι τῆς διαγγελίας, si hoc non volunt? Imo ne aliqua pars fabulæ desit, præparatione quoque, ad recipiendum χάρισμα propheticum, destitutum se haudquaquam fuisse innuit. Licet enim ita omnino cum propheticum dono comparatum sit, ut nulla mortali menti via pateat, qua ad illud contendere possit, nemoque illud sibi sumere valeat, sed coelitus expectare debeat, quicquid prophetici est charismatis; fuisse tamen peculiaria quædam exercitia, quibus præparari & quasi disponi potuerunt, ad recipiendam Spiritus Dei ἔλαμψιν & propheticum φωτισμόν, compertum satis habemus. Quid enim aliud quæso spectabant frequentes adeo Prophetarum scholæ, quarum creberrima in sacrarum historiarum monumentis mentio, quæ tales scholas Gibeæ, Najothis in Rama, aliisque in locis Eliæ Elisæique temporibus floruisse testantur? Equidem omnis earum conditio adeo luculente in sanctissimis illis scriptis nobis tradita non est, ut exactam earum delineationem inde exprimere valeamus: id tamen minime nos fugere potest, Prophetarum filios, in iis educari solitos, abstracto a rebus ad χῆμα ἔκκοσμος τέτρα pertinentibus animo, rerum divinarum contemplatione potissimum innutritos fuisse. Illæ enim procul dubio unice argumenta erant hymnorum, quos suavissima voce noctu dieque modulari solebant. Ut vero turbidus natura animus, ad recipiendum refundendumque infusum ei lumen propheticum, purissimi speculi instar perpoliretur dispondereturque, purgativarum reliquarumque ad θεωρίαν conducentium virtutum apparatu tumultuantes animi motus subigebant. Ad quod obtinendum cum Musicam oppido multum conferre viderent, quæ non tantum componendis vitiosis affectibus præsentissimo esse potest remedio, sed & in excitandis nobilioribus plurimum valet, ei quoque operam multo studio dederunt. Quid enim in componendis affectus violentia distractis animis, iisque ad laudes imprimis divinas excitandis prophetici illi, imo divini concentus, potuerint, vel

p. 851.

1. Sam. XIX, 23. solius Saulis nunc quidem nos doceat exemplum. Minas cædesque spirabat animus ejus, vix antea conquieturus quam Davidis sanguine sese exsatiasset, quem inter ipsos venerabilis senis, Samuelis, amplexus, iræ suæ sacrificium cadere volebat. Quid vero ille Najothas in Rama delatus, atque in Prophetarum conf. 1. Sam. X, **וְיָנַח**, hoc est hymnos & laudes Dei, inter cithararum, nabliorum 5. & 1. Chron. XXV, 2. reliquorumque Musicorum instrumentorum concentus modulantium coetu constitutus? Omnes statim qui ad cædem eum accendebant truculenti affectus conquieverere, adeoque in majestatem Dei defixa mens humilitatis suæ tangebatur agnitione, ut procul amoto regio fastu, Dei unice laudes celebrare desideraret. Atque iste ipse Musicæ, divini certe si ullum aliud doni, usus, in religioso Dei cultu locum ei primum fecit, quem Apostolico quoque ævo in Ecclesiis Christianis obtinuit, id quod Plinii, Luciani, Justini Martyris, Clementis Alexandrini, & Tertulliani locis non difficile esset ostendere. Recte enim Chrysostomus, in Ps. XLI. *ἐδὲν ἄνω ἀνίστησι ψυχὴν, καὶ περιεῖ, καὶ τῆς γῆς ἀπαλλάττει, καὶ τῶν τῆς σώματος ἀπολύει δεσμῶν, καὶ φιλοσοφεῖν ποιεῖ, καὶ πάντων κατὰσελᾶ τῶν βιωτικῶν, ὡς μέλος συμφωνίας, καὶ ῥυθμῶ συγκείμενον θεῖον ᾄσμα.* Utinam vero usum illum negligere nollent, quibus concentuum in sacris obeundis deman- data cura est. Sic enim nunquam videres ut profanæ melodiæ, e thea- tris forsan in Ecclesiam invectæ, pedesque compositi, una cum Joni- cis, Lydiis & mixolydiis modis, quos vel Plato ex sua civitate expellat & procul facessere jubeat, sacrorum, quibus accommodantur hymno- rum virtute omni suppressa, profanas audientium cogitationes foveant magis quam extinguant. Sane quantum in Musica ad sedandos excitandosque affectus positum sit, non sacræ tantum litte- ræ, verum seculi quoque Sapientes abunde nos docent. Utque Musi- corum qui miracula fere arte sua præstiterunt, quales Timotheus ille, cujus Seneca meminit, aliique complures fuerunt, exempla nunc taceam; ea tantum secum reputare velim rerum antiquarum peritos, quæ per Mu- sicam Pythagoreos præstitisse apud Jamblichum, Nicomachum Gerase- num, Synesium & alios legimus, & quæ divinus Plato de restituenda ani- mæ harmonia apud Chalcidium & alibi passim tradat. Quæ ut eo minus tanquam fabulosa imperiti, nihil tale à modernis Musicis præstari viden- tes,

L. III. de ira
c. 9.

in Plat. Timæ
p. 363.

tes, despiciant, Ludovici Vivis de antiquæ & modernæ Musicæ facie, audire juvat sententiam. *Intelligentiam carminum*, inquit, *videmus perisse nisi in paucis quibusdam notissimi concentus, & generam proportionum, quæ aperte testantur obesiorem esse nobis & tardiores aures quam illis priscis. Et hac de causa admirabiles illi effectus Musicæ vel ad sanitatem corporum, vel ad motus animorum excitandos sedandosve, de quibus magni autores prodiderunt, jam olim nulli sunt. Videlicet subtilissima atque absolutissima illi animæ nostræ harmonia, minus congruit exterior hic nostrorum temporum crassus concentus ac rudis, quam ille veterum eruditus ac subtilis, ideo minus habet nunc virium ad aliquid efficiendum in nobis, quod tum ex similitudine obtinebat & convenientia.* Sane insignem illam, quam hac ex parte passi sumus, jacturam, dudum est quod planxere Græci, tum passim in scriptis suis, tum frequenti illa parœmia *ἐκκέκοφθ' ἡ μουσική*, quæ quanta sit nemo melius docuerit, quam insigne quondam patriæ nostræ decus Sethus Calvisius in Exercitationibus Musicis, Isaacus Vossius in egregio opere de Poematum cantu & viribus rhythmis, & Vincentius Galilæi in Dialogo quem Hetrusca lingua de antiqua & moderna Musica scripsit. Cum vero tanta Musices apud Græcos vis fuerit atque excellentia, an hac ex parte inferiores eis fuisse Hebræos putabimus, quibus uti reliquam sapientiam suam, ita Musicam quoque illos debere plerique contendunt? At quid probabilibus opus est argumentis, cum ipsa rerum testimonia adsint, Musicaque sua, quod præcipue ad præsens institutum facit, usos Hebræos esse constet, ad præparandum elevandumque animum, ut recipiendo divinæ gratiæ influxui luminique prophetico aptior redderetur? Sive existimemus, verba sunt doctissimi Witsii, vehementi illa, „emotione affectuum, quos conciliarunt suavesonantia instrumenta, „animum veluti sede sua motum, facilius a DEO impulsum esse prophético spiritu, ad extraordinarios etiam corporis motus, in quibus „præsentis numinis indicia se pandebant, quod iis accidisse videtur, quorum historia extat i. Sam. X, 10. XIX, 20. 21. Sive malimus credere, „dulci aliqua Musica sedatum fuisse animum, eosque affectus compositos, qui lenem illum Spiritus divini influxum impediunt. Atque hoc „sine videtur Elisæus Psalten poposcisse, qui coram ipso modularetur, „ut animum propter impietatem Regis sancte quidem, at fortasse justo, „vehementius, turbatum, pacarent. Nimirum sanctum aliquod car-

L.V. de corrupt. scient. p. 186. conf. L.3. de trad. discipl. pag. 339.

„men coram se cani voluit, admixtis una precibus & laudibus Dei,
 „quibus tum animi piorum permulcebantur & attollebantur, atque
 „aptiores fiebant ad accipiendam prophetica illustrationem, tum
 „Deus movebatur ad revelandum quid facto opus esset. Fuit itaque,
 „ut eo quo tendimus sensim sensimque deveniamus, scholarum prophe-
 „ticarum alumnis id potissimum curæ, ut Deum agnoscere, animum
 „perpurgare, atque eo fine Musica recte & ex voluntate ejus, a quo bo-
 „num illud donum profectum est, uti discerent. Ista vero pietatis
 „exercitia adeo placebant Deo, ut multis ex isto cœtu prophetorum
 „arcanorum cognitionem indulserit. Imo non est absimile vero, Deum
 „ex hoc cœtu plerumque sibi eos delegisse, quos illustri prophetiæ dono
 „dignaretur, & ut voluntatis suæ interpretibus uteretur ad populum.
 „Hinc Amosus uti rem prorsus insolitam de seipso narrat: *Non eram*
 „*Propheta*, hoc est unus ex magnis istis viris, qui collegiis istis præe-
 „rant, aut certe diu interfuerant, *neque filius propheta eram*, a puero
 „educatus in scholis prophetis, *sed bubulcus eram & perquirens sycos-*
 „*mora*, non ducens vitam propheticam, sacrarum literarum studio &
 „segregatione a mundo insignem, *quum assumpsit me Jehova a sequendo*
 „*grege &c.* quæ iterum doctissimi Witsii est observatio. In captivi-
 „tate autem Babylonica, imo & post eam nulla hujusmodi scholarum
 „prophetarum vestigia deprehendimus, strictissimaque adeo ac reci-
 „piendæ ἐλλάμψει prophetiæ maxime idonea disciplina in Sacerdotum
 „familiis ista ætate viguisse videtur. Sacerdotibus itaque donum pro-
 „pheticum maxime peculiare, Judæos sibi post illa tempora persuasisse
 „vero non est absimile. In qua opinione haud parum forsitan eos confir-
 „mavit, quod omnes fere, qui in & post captivitatem Babyloniam ex-
 „surrexere, Prophetas, ex sacerdotali tribu oriundos esse deprehende-
 „rent. Id sane de seipso testatur Ezechiel, Buzi, Sacerdotis, filium sese
 „esse dicens. Haggæum Angelum fuisse, atque propterea ἀγενναλό-
 „γητον, somnient parum sani cerebelli homines apud Hieronymum.
 „Ex tribu Levi eum progenitum esse tradit Vitarum prophetarum,
 „quas eorum vaticiniis in antiquo Codice Augustano subjunctas, in lu-
 „cem primus David Hoeschelius edidit, Autor. Ἀγλαῖος inquit ἐορθε-
 „ζων ἐρμηνεύσει, ἔτεχθη εἰς Βαβυλῶνα, ἣν δὲ ἐκ φυλῆς λευί.
 „Zachariam ex Iddo progenie fuisse, sacrarum litterarum monumenta
 „nos docent. Iddo vero ille, si gravissimorum interpretum sequi liceat
 „aucto-

l.c. p. 79.

Ezech. I, 1.

auctoritatem, idem cum eo est, quem Nehemias inter Sacerdotes, qui
 cum Zorobabele Babylone Hierosolymam redierunt, censet. Certe
 ex Levitica tribu eum fuisse paulo ante memoratus Autor diserte affir-
 mat. Ζαχαρίας, inquit, ἐρμηνεύεται μνήμη ὑψίστου, ἢ νίκη τῆς
 λέου. ἦν δὲ ἐκ γένους Λευί, ἐγεννήθη ἐν γαλααδ &c. Atque ex
 eadem tribu Malachiae quoque, quem Angelum fuisse frustra Origenes
 somniavit, genus deducit. Μαλαχίας, ita ait, ἐρμηνεύεται ἄγγελος,
 ἔτι μὲν τὴν ὀπισθοφθὴν τίθηται ἐν σωφειρὰ ἐκ γένους Λευί. Quae
 si vera est traditio, omnes eorum corruunt uno ictu sententiae, qui pro
 Mardochæo, Esra, Zorobabele, Nehemia, Prophetam illum venditant,
 utpote qui omnes ante reditum ex captivitate nati fuerint. Ut nihil
 autem dissimulem, sane Malachias non ex Levitico genere, sed ἐκ Φυ-
 λῆς Ζαβουλών prognatus esse dicitur in vitis Prophetarum, Epiphanio
 vulgo adscriptis, quibus ita alias cum vitis eorum ab Hoeschelio editis
 convenit in plerisque exacte, ut unum idemque opus merito utrumque
 esse videatur. Venit itaque mihi aliquando in mentem, Φυλὴν eo in
 loco Epiphanio idem esse quod κληρον Φυλῆς, quo sensu Levita,
 quem Michæas Judicum Israeliticorum temporibus domesticis sacris
 suis præfecerat **יְהוֹנָדָב בֶּן־חֲזַקְיָהוּ** esse dicitur, quod Bethlehemum
 patriam haberet. Simili enim ratione Haggæus quoque Sopheræ Za-
 bulonitarum oppido natus, ex tribu illa certo sensu dici posset. At
 cum perpetua vocis Φυλή apud Epiphanium sit ea acceptio, quæ pri-
 mo intuitu se offert, & præterea statim post dicatur τίθηται ἐν Σοφείρᾳ
 (ita enim pro Σωφειρὰ legitur apud Epiphanium) ἐν γῆ Ζαβουλών,
 nescio an ista explicatio locum hic invenire possit. Forsan igitur
 probabilius conjeceris, si dicas, imperiti cujusdam, sed nasuti librarii,
 illam esse emendationem, qui Aggæum in oppido tribus Zabulon na-
 tum, ἐκ τῆς Φυλῆς Ζαβουλών etiam esse existimaverit, atque adeo
 Λευί in Ζαβουλών perperam mutaverit. Omnes itaque fere Prophetas,
 qui in captivitate & post eam oracula ediderunt, ex tribu Levi ortos
 tenemus, unde opinionem natam esse non improbabile est, illam tri-
 bum ob frequentia maxime in ea præparatoria exercitia Prophetici
 spiritus afflatui maxime idoneam censitam fuisse. Nec forte plane
 nullum fuit istius opinionis fundamentum, cum revirescente etiam
 circa Christi tempora prophetico dono, Leviticam progeniem isto
 gratiæ radio potissimum collustrare DEO, pro sapientissima sua œco-
 nomia

c. XII, 16.

Id. XVII, 5.

Diatr. de Sy-
meon. sec. P. 3.

nomia placuerit. Zacharias enim, Elifabetha, Joannes, imo & Symeon, si fides antiquæ traditioni, quam ex veteribus monumentis eruit Leo Allatius, ex illa tribu progeniti fuerunt. Atque Josephus etiam inter omnes eos, quibus gratiam illam post captivitatem obtigisse in scriptis suis passim narrat, neminem recenset, qui ex illo genere natus non sit, præter unicum Menahemum, cujus familiam non prodit, Essenum eum fuisse indicasse contentus. Præparatione itaque ad donum Propheticum, in familiis sacerdotalibus maxime illustri, ad majorem fidem sibi adstruendam, a teneris sese gavisum esse Josephus jactitat, Sacerdotem quippe & Sacerdotis filium.

§. VI. Videmus ergo omnia sibi Josephum tribuere, quæ Prophetam constituere vulgo creduntur. Quod qua fronte faciat ipse viderit, si vera est eorum sententia, qui post Malachiam, Prophetam in Ecclesia Judaica usque ad Christi tempora conspectum neminem fuisse, multo minus autem post Christi tempora, quibus cum sceptro Doctorem etiam a Juda ablatum fuisse firmiter omnino tenendum est, existimant. Novi hic munus propheticum & *χάρισμα* a nonnullis distingui, qui munus quidem post Malachiam tempora non vero etiam *χάρισμα* cessavisse largiuntur. Veruntamen fateor quædam in eorum sententia obscura mihi videri, saltem ad præsens negotium non facile accommodari posse. Si enim munus propheticum sustinere existimant eos, qui peculiari quodam instinctu monent populum, redarguunt, hortantur, & in iis quæ facienda fugiendaque sunt instituunt, illud quidem penitus post Malachiam tempora cessasse negaverim, ut adeo aliud quid intelligendum esse videatur per prophetiam, quæ cessasse post Malachiam tempora dicitur. Si vero propheticum, munus præcise consistit in divinitus facta rerum, alia ratione cognitioni humanæ imperviarum, revelatione, & interna agitatione atque impulsu eadem publice exponendi: tum fateor me aliquo modo percipere quale sit munus, quod ablatum Judæis statuunt, propheticum, atque aliquod etiam ejus discrimen a dono prophetico deprehendere. Sic enim donum propheticum erit ipsa revelatio divina, afflatusque cœlestis, cum mandato eum apud alios proferendi, sive expresso sive per vehementissimum instinctum internum significato, non conjunctus. Munus vero propheticum eum gerere existimabimus, apud quem cum revelatione divina mandatum quoque aliis eam significandi concurret. Utrumque autem apud se concurrisse diserte Josephus gloria-

gloriatur, qui non solum internum istum iunctum & πρόσταγμα externum discrete memorat sibi obtigisse, verum etiam Vespasianum affatus, audacissime dicit: ἄγγελός σοι ἦκω θεῶν. Quorum verborum quis alius sensus esse potest, quam iste: Vides me nuncium, atque Prophetam Dei, divino jussu, quod est Prophetarum ad Reges populosque mitti solitorum, tua Romanique Imperii fata tibi annunciaturum? Atque hinc est, quod Josephus, nusquam sive munus sive donum propheticum post Malachiam intercidisse memoret, imo potius insinuet, plane aliter, quam vulgo fit, accipienda esse, quæ de interrupta post Malachiam Prophetarum serie traduntur. Locus ad quem intendimus animum extat in libro I contra Apionem, ubi ista invenimus. Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξεως μέχρι τῆς καθ' ἡμᾶς χρόνος γέγραπται μὴ ἕκαστα πίστεως ἢ ἔχ' ὁμοίας ἡξίω τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ μὴ γνέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχὴν. Ubi Josephum simpliciter Prophetas post Artaxerxem extitisse haudquaquam negare manifestum est: sed id tantum sibi velle, quod nulla deinceps prophetica scripta in sacrum Canonem admissa fuerint, eo quod solennis δοκιμασία scriptorum in Canonem recipiendorum, forte per Urim & Thumim suscipienda, cessasset, atque hoc sensu ἀκριβῆ illam διαδοχὴν interruptam fuisse dicit. Videri possunt quæ de illo loco annotavit H. Dodwellus in notis ad fragmenta librorum linteorum summorum Pontificum, nec non Richardus Simonius in Historia Critica Veteris Testamenti, & in responsione secunda Theologis Belgis opposita, qui communem eam multis Judæorum Magistris sententiam esse dicit, inspirationem & afflatus propheticos post tempora illa non cessasse, qui tamen prophetiæ nomine ipsis non amplius appellentur. At quicquid de temporibus illis statuamus, id enim ad rem quam nunc agimus non multum facit, neminem tam stulte superstitiosum fore arbitror, ut post repudiatum penitus Judaicum populum, Deum extraordinaria sua gratia adhuc in eo habitasse, suæque præsentiae hujusmodi χαρίσμασι, quale propheticum fuit, signa edidisse, sibi persuaderi patiatur, cum ipsi doctissimi Judæi lumen istud hodie a se recessisse non diffiteantur, Messiae temporibus illud denique rediturum sperantes.

p. 1036.

p. 462.

L. I. c. 8.

p. 113, 124.

Maim. Moreh.
Nebuch. P. II.
c. 36.

§. VII. Possemus jam acquisitis variis de vita & moribus Josephi observationibus, Mosis Majemonidis aliorumque Magistrorum Judæorum autoritate ostendere, parum idoneum Josephum prophético sive muneri sive charismati fuisse: Verum istiusmodi argumenta cum

C

infi-

in finitis fere exceptionibus sint obnoxia, data opera a nobis prætermittuntur. Sufficit nullum idoneum argumentum afferri posse, quo ei Prophetæ honor vindicari queat. At vero hæcenus a nobis allata nihil aliud probare fatemur, quam Josephum primario & receptiore significatu Prophetam non fuisse. Pro quo si evidentissimis verbis ipsemet sese non venditavit, sane ita æquivocationibus lusisse deprehenditur, ut omni studio eam lectoribus suis de se facere opinionem conatus fuisse videatur. Verum inquiet aliquis, largiemur, hæcenus dicta omnia recte sese habere, an tamen fieri propterea non posse dicemus, ut Josepho imminens rerum mutatio insignis revelata fuerit, cum inter gentiles quoque haud raræ hujusmodi rerum futurarum prædictiones inveniantur. Quæ utut multis, quæ in contrarium fieri possunt, objectionibus pateant, non facile tamen aliquis in dubium vocare ausit, quæ sacra historia earum suppeditat in Bileamo, atque aliis exempla: in quibus *οικονομία ἢ ὕψος καθαρότης ἐλλαμπόριον* & talia effecit, ut eleganter Procopius loqui solet. Fieri itaque hoc posse non negem, id tamen dissimulare non possum, plane aliam mihi videri rationem eorum, quæ cum Bileamo aliisque hujus generis viris gesta fuerunt, nec in vate enim, nec in re prædicta, nec in scopo vaticinii quidquam invenimus, quod justæ suspicioni locum dare possit. Quantum ad Josephum vero, fateor me in illustrissimo ejus vaticinio, de Vespasianis imperio admovendis, tot invenire scopulos, in quos fides mea naufragium factura irruit, ut facilem ei salutem reperire non possim. An vero justæ meæ suspensiones sint doctioribus si operæ pretium ipsis videbitur, relinquo expendendum, quibus dubia mea potius proposuisse, quam ipse aliquid docuisse existimari cupio.

§. II. X. Ipsum itaque Josephum quod attinet, virum πολιτικότατον cum fuisse facile apparet, qui non tantum suæ Reipublicæ statum, verum etiam Romanorum res intime perspectas habuerit. Ipsam enim Romam anno, nisi fallor, decimo Neronis adiit, facileque in secretiores aulae atque Reipublicæ recessus penetravit. Aliatur omnino, quod genus hominum plurimum eo tempore, ob insanum Imperatoris in eos studium, Romæ valebat, ad procerum familiaritatem, imo & ad ipsius Sabinæ Poppææ, quæ Octaviæ in toro Neronis jam successerat, gratiam, aditum ipsi patefaciente. Tot autem inter Romanos amicos Josephus habuit, ut in ipso quoque Vespasiani exercitu

haud

ad Ef. p. 2.

haud pauci fuerint optime ipsi cupientes, ut dubium adeo esse non possit, multa eum de rerum Romanarum facie subinde rescivisse. Quam autem ex rerum circumstantiis, secuturos inde eventus prudentissima conjectura assequi, & mente præcipere Josephus aptus fuerit, universa vitæ ejus a seipso perscriptæ historia abunde testatur. Præcipue vero felicissimus in cognoscendis hominum moribus erat, atque inde præsentissima sæpe, in extremis jam versatus, fortunæ suæ petiit remedia. Quæ tanto melius ipsi succedebant, quod ad manum fere ea semper haberet, audacissimumque in iis applicandis sese ostenderet: quibus artibus dici non potest quam feliciter omnes Joannis aliorumque adversariorum suorum insidias superaverit. Quantum vero ad religionem ejus, sane negari non potest, paulo remissiores in zelo suo eum fuisse: nec ego sponsor pro ipso fuerim, nihil commune ipsi cum Pseudo-Politicorum fuisse hæresi, qui nihil peccare sese existimant, si versute ad fines suos consequendos, ea, si ita ferat occasio, abutantur, illaque eam representent facie, quæ maxime istis consequendis videntur conducere. Sane eum minime commendando in Græcos atque Romanos studio, ita passim eorum superstitionibus cœlitus Judæis allata oracula accommodasse, ut semipaganus quandoque videri possit, dudum viris eruditis fuit observatum.

§. IX. Jam illa omnia ut ad rem præsentem paulo propius accommodemus, tantummodo opus est. Atque istud primo attendendum, Josephum in victoris arbitrio jam constitutam fortunam habentem, id primum omnium duxisse atque antiquissimum, ut salutem suam consulere. Optimam ad hoc ipsum consequendum viam eam esse noverat, quæ moribus atque ingenio ejus, a quo nunc maxime omnis fortuna sua pendebat, præcipue esset accommodata. Ingenium autem quale Vespasiano esset, latere Josephum non poterat, qui summorum Imperatorum exemplo, id haud dubie assidue operam dabat, ut quam perspectissimum illud haberet: gnarus quantum Hannibali aliisque, quorum in bello insignis gloria fuit, ad maximas sibi parandas adores profuerit, quod accurate exploratos eorum, quibus rei contra ipsos gerendæ summa credita fuerat, mores haberent. Nec obscurum valde esse poterat, quo maxime propenderet Vespasiani animus, quem iis quæ sensibus percipiuntur voluptatibus nimis deditum non fuisse, publica illo tempore vox testabatur, quam in vita Apollonii sui Philostratus nobis

Van Dalen de
Proph. p. 77.

136.

L. V. c. 13.

L. VIII. c. 4.

Hist. II. 97.

Svet. L. VIII.

c. 4.

servavit. Avaritiæ autem parum in eum potestatis fuisse vel inde constabat, quod amplissimis licet gestis muneribus, nihil opulentior factus fuerit, atque Africanam imprimis provinciam sub Neronis imperio tanta integritate administraverit, ut ea deposita, inopia adactus, prædia sua oppignorare & ad mangonicos quæstus descendere coactus fuerit. Svetonio enim, *qui integerrime, nec sine magna dignatione* Africanam a Vespasiano administratam esse testatur, quod Tacitum contradicere Viri docti existimant. *famosum invisumque, proconsulatum eum ibi egisse* dicentem, in eo vehementer nisi fallor a vero recedunt. Loquitur enim Svetonius de dignatione quam apud viros bonos, Proceresque imprimis Romanos, (consularis namque illa Provincia erat) Vespasianus ista administratione consecutus fuit. Tacitus vero disertè de Mauris sive Africanis, omnivitorum generi deditissima gente, eorumque in Vespasianum animis sermonem sibi esse innuit. Quibus Vitellium, hominem moribus eorum perquam similem, gratiorem, ejusque adeo proconsulatum *magis favorabilem* fuisse quid mirum? Nec ipse id dissimulat Svetonius, qui Adrumeti in seditione rapam in Vespasianum jactam esse memorat. Quod vero ad avaritiam eum proclivem imprimis fuisse, nonnulli ex gravissimis, quæ eo Imperatore exactæ fuerunt, vectigalibus colligunt, id dudum a Viris doctis explosum fuit, qui illam Muciani potius, exhaustique Vitellii prodigalitate ærarii, quam Vespasiani culpam fuisse ostenderunt. Cum itaque nec voluptas, neque habendi cupidum summum in Vespasiani animum imperium exercuerit, gloriæ studio atque ad summa quævis enitendi cupiditati eum obnoxium potissimum esse facile patebat. Quo enim alias summa illa vigilantia, patientia laboris, cautissimaque prudentia, cum ceteris virtutibus imperatoriis tendebat, quam in illa adversus Judæos expeditione non minus, quam olim in Britannia, ubi, Claudio imperante, tricies cum hoste confligit, duasque validissimas gentes, superque XX oppida & insulam Vectem in deditionem redegit, omnibus approbaverat? Cum itaque Josephus, quem istorum omnium nihil poterat fugere, certissime perspectum haberet, nihil gloria atque honoribus potius ad summa tendenti victori suo haberi, quo alio contentu eum deliniendum esse statueret, quam eo qui cum animo ejus aptissima harmonia congruebat? At quis congrueret aptius, quam ille, qui summum fastigium ad summa tendenti pollicebatur? Accedit quod ne fingi quidem aliquid possit, in Josephi, ea qua tum erat

conditio-

conditione, potestate positum, quo demulcere atque sibi conciliare Vespasiani animum potuisset. Tutissimum itaque erat pollicitationibus, quæ DEO exsolvendæ permitterentur, Vespasianum ad fastigii illius spem, ut mox probabile reddemus, jamdudum erectum, lactare. Quibus si nihil aliud, moras saltem se lucraturum esse versutissimus homo facile videbat. Imo persuasissimus esse poterat, nunquam tantum audaciæ Vespasiano futurum, ut se imperium ipsi auguratum Romam ablegare, manibusque Neronis permittere sustineret. Certissimum enim Vespasiano non minus ac aliis, quibus summum a fatiis destinati imperium inani quandoq; superstitione sibi persuasere Tyranni, paratum fuisset exitium, si de hoc vaticinio quidquam ad Neronem emanasset: quod fore procul dubio metuens, non antea arctiori eum custodiæ exemit, quam Imperator & Augustus in Ægypto Syriaque esset renunciatus.

§. X. Tantane vero, inquires, Josepho fuerit audacia, ut fingere impudentissime, omni fundamento destitutus, non veritus fuerit, quæ pro divinitus revelatis impie vendicaret? Id quidem nec ipse affirmare ausim, impudentia enim illa, imo furor fuisset, a quo longissime Josephum, prudentissimum virum abfuisse arbitror. Prævidit igitur aliquid omnino Josephus, hoc enim cur negem? divina tamen *ἐκλάμ-
ψες* epuratis oculis eum prævidisse quicquid prævidit, hoc est quod dubium mihi videtur. Prævidit Cicero quoque multa deinceps in Republica Romana eventura: prævidit M. Antonium eorum, quæ fuerant legatis ad illum mandata, nihil facturum, imo & in bello Civili nihil, inquit, *adversæ accidit non predicente me. Quare, quum ut augures & astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurii & divinationis meæ: debet habere fidem nostra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec ex cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis aut sonivitis tibi auguror, sed habeo alia signa quæ observem.* Idemque de eo Æmilius Probus in vita Attici testatur, in Epistolis ejus ad Atticum sic omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus Reipublicæ perscripta esse dicens, ut nihil in iis non appareat: & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim ea solum, quæ vivo se acciderunt, Ciceronem futura prædixisse, sed etiam quæ post usu venerunt cecinisse ut vatem. Num vero propterea Ci-

Or. Phil. VI.

c. 3.

Cic. ad Famil.
L. VI. Ep. 6.

c. XVI.

C 3

ceronem

Plut. in Solone
p. 84.

Lect. An. XII,
6.

vid. Lips. Mo-
nit. Pol. L. II.
c. 9. m. 3.

ceronem quoque divino quodam tactum afflatu futura cecinisse di-
cam? Aut Solonem Deo quodam ipsum concutiente verba fuisse
statuam, cum Munychiam diu intuitus, *Quam cacutit*, diceret, *ad*
futura homo, *suis ipsorum dentibus hunc locum peresuri Athenienses es-*
sent, *si quantum is afflieturus sit civitatem præviderent*. Quod ora-
culum, ut obiter id notem, Epimendi tribuit, festinantis oculi haud du-
bie lapsu Coelius Rhodiginus, quem Plutarchi locum ante oculos ha-
buisse me dubitare haud finit, quod similem de Thalete narrationem,
a Plutarcho priori illi junctam, ipse quoque una referat, quam cum alia
immediate excipiat diversi argumenti de Epimenide narratio, properans
Coelii animus hujus nomini accommodavit, quod de Solone a Plu-
tarcho relatum fuit. Verum ut ad id quod agimus redeamus, alia
hujusmodi quamplurima divinationis politicæ exempla acervatim
Viri docti congesserunt, quibus hoc quoque Josephi, de Vespasiano ad
summum Imperii Romani fastigium evehendo, vaticinium accensum
esse existimamus.

§. XI. Signa itaque, ex quibus augurati, id quod fore prædixit,
Josephus noster potuerit, a nobis requiri, idque jure meritoque, facile
sentimus: ea proinde quousque licebit nunc indagabimus. Id ergo
difficile non erat prævidere, diuturnum esse non posse Neronis Impe-
rium, in quo nihil moderati, quod durationem ei polliceri potuisset,
inveniebatur. Quin potius futilissimarum rerum studio, infami li-
bidine, crudelissimis rapinis, cædibus, parricidiis, ita divina humanaque
jura monstrum illud turbaverat, ut nihil ipsi vicissim nisi confusionem
præproperumque exitium augurari liceret. Quis enim vel præsidem
rerum humanarum mentem, quæ furiis tot innocentium sanguine
pollutum tyrannum jamtum agitabat, toto corpore ejus tremore
quassato: vel tot per Romanum, qua late patebat, Imperium obvios for-
tissimos viros, ex antiquo spiritu Romano aliquid adhuc trahentes,
ferre diu posse in summo isto fastigio sæviens infernale monstrum ex-
istimaverit? maxime cum post fratrem occisum, matrem interemtam,
conjugem, antiquæ virtutis Romanæ luculentissimum exemplum, ut
adulterinis amoribus locum faceret, cæsam, præceptores obruncatos,
Romam incensam, nemini bono a Tyranni immanitate tuto esse lice-
ret. Ob oculos versabantur priorum tyrannorum, Caji Caligulæ im-
primis, fata, quorum cum Neronis atrocissima, crudelitate comparata
sæ-

sævities, vix illud erat quod teneræ pueri vires, cum obfirmato adul-
 torum lacertorum robore commissæ. Imo quid longe petitis istis im-
 minentis Neronis exitii opus erat argumentis, cum certatim Romano-
 rum, in cædem tyranni conspirantium, studia sese jam prodidissent.
 Extincta non ita pridem fuerat maxima, quæ C. Calpurnio Pisone
 duce & autore sancita erat confœderatio, in cuius partes ipse Romanæ
 nobilitatis flos pervenerat. Insecuta eam fuerat conjuratio Vinicianæ
 Beneventi conflata atque detecta, consimiliumque consiliorum fer-
 mentum jam tum plerasque Romani Imperii provincias pervasisse vi-
 debatur. Nec tamen furere propterea Nero desinebat, quin potius
 magis magisque rabies illius quotidie accendebatur: ut adeo obscurum
 esse non posset, eum citato gressu ad interitum properare. Erat autem
 Nero ex Cæsarum familia, in qua imperium hæctenus fuerat, ultimus,
 mascula progenie ipse destitutus. Quam licet forsan ex tertia conjuge
 sua Statilia Messalina, quæ post Poppææ fata, calcis ictu, quem gravido
 utero a sæviente Nerone exceperat, interemta, in amplexus ejus perve-
 nerat, expectare licuisset; tamdiu tamen superstitem Neronem fore,
 donec tractandis imperii habenis aptus filius redderetur, nulla fere spes
 erat. Quæ autem nondum adultos Romanorum Imperatorum hære-
 des fata manere soleant, Tiberii Neronis, qui avo suo Tiberio, & Brit-
 tannici, qui patre Claudio, antequam adolevissent, fati abreptis, Caji
 Neronisque immolabantur ambitioni, exempla abunde docebant.
 Id ergo etiam Josephus poterat nosse, familia Cæsarum cum Nerone
 extincta, ejus fore imperium, cui vel virtus, vel hominum studia illud
 decernere voluisset. Jam illud itaque tantum supererat, ut eum soler-
 tissima mentis indagine exquireret, qui & virtute inter Romanos Pro-
 ceres maxime emereret, & hominum studiis præ aliis sublevari videre-
 tur. Quantum ad virtutem, nemo facile inter Romanos erat, apud
 quem magis splendide ea effulgeret, quam apud Vespasianum, omnes
 enim apud quos illustrior ea comparuerat, sollicitus tyranni sustulerat
 timor, utpote quos publicis votis imperio statim destinari animadver-
 teret. Expertus id nuper admodum, & postquam expeditionem con-
 tra Judæos jam suscepisset Vespasianus, Domitius Corbulo fuerat, cui
 post Parthos Armeniosque subactos, aliaque præclara de Nerone atque
 universo imperio Romano merita, id solum exitio fuit, quod in eum ob
 summas virtutes, tanquam imperio dignissimum, omnium conversi
 oculi

Dio Cass. p. 689

oculi essent, quamvis ipse ne minimam quidem unquam suspicionem, ac si contra Neronem aliquid moliretur, de se fecerit. Post Corbulonem itaque tyranni furore extinctum, neminem inveniemus, qui paria Vespasiano fecerit, Britannicis victoriis jam olim inclyto; ob quas pariter ac ob præsentis in Judæa expeditionis felicissima initia, æquitatemque & prudentiam, eadem quæ Corbuloni, plerosque ei jamtum animis destinasse paulo post ostendere conabimur. Jam quantum ad hominum studia, & illa, quæ inde peti poterant ad summum fastigium conscendendum subsidia, id equidem non fateri non possumus, illustris familiæ splendore, qui plurimum isthuc conducere posse videbatur, non coruscasse Vespasianum, cui tuto propterea Judaicum bellum demandari arbitratus fuerat Nero, quod metuendum eum nullo modo ob generis humilitatem crederet. Veruntamen non multum profapiâ suam illi obfuturam esse, nisi fallor inde licebat conjicere, quod ex illustribus viris, ex illustribus familiis oriundis, superstites, vel illustriori loco esse, passus fuerit Nero, præter Galbam, decrepitem jam & senectutis vitiis & corpore & animo laborantem, omnino neminem. Præterea in recenti memoria versabatur Ælii Sejani exemplum, qui obscuro licet loco natus, familia Cæsarum etiamnum vigente, proximus tamen Imperii fastigio fuerat. Quid quod Vespasiano frater Sabinus, qui per integrum decennium præfectura Romæ defunctus jam fuerat, familiæque senatoriæ, quibus materno genere innexus erat, qualicumque auxilio esse posse viderentur. Sed infirma ista fateor, ad sustinendum Vespasianum erant fulcra, ex quibus non facile fuisset, de eo ad imperium evehendo aliquid suspicari. At majus erat quod potentissimos Romani Imperii exercitus in potestate sua haberet, atque ab iis diligeretur imprimis, quod ipsum maximo ad capestrandam Imperii spem momento fuisse quis nescit, nisi plane in historia Romana peregrinus? Militum enim summam in deligendo Imperatore fuisse autoritatem, superforaneum esset, si nunc probandum susciperemus.

§. XII. Atque ex his quidem eo tutius de rebus futuris conjecturam facere Josephus poterat, quod eis ipsemet Vespasianus ad earum spem erigeretur. Diu enim antea quam Othonis Vitellique de principatu certamina apud illum vehementius eam excitarent, conceptam hanc spem jam fuisse, Suetonium habemus autorem. Qui per varia quidem ostenta eam conceptam fuisse ait, verum de his ea, que

Suet. L. VIII.

6.4.

L. VIII. c. 5.

quæ decet Virum πολιτικὸν ἀκρίβειά loquitur Tacitus, *Occulta*, in-
 quiens, *lege fati, & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque*
ejus imperium, post fortunam credidimus: indeque nobis quoque su-
 spicari liceat, ex aliis forsan quam extraordinariis illis signis, imperii
 spem Vespasiano natam fuisse. At utcunque id sese habeat, promptissi-
 mos eum habuisse, atque instantes etiam suos ut spei isti implendæ ipse-
 met deesse nolit, ejusdem Svetonii testimonio novimus. Quod ne ad
 sequiora tempora pertinere aliquis cavilletur, monendum haud abs re
 ducimus, Galbam quoque tale quid mente agitare Vespasianum perce-
 pisse, aut saltem eum quam maxime idoneum esse, qui tale quid molire-
 tur, existimasse: proptereaque cum vix imperio esset admotus, vel etiam
 antequam ejus invadendi consilia perfecisset, percussores ei ex Hispania
 submisisse. Quam causam fuisse, quod statuat ei in rostrata columna
 collocari postea nollet Vespasianus, Svetonius indicavit. Sane enim
 omnes in Vespasianos conversos oculos jam ante Neronis excessum ha-
 buisse, vel inde etiam collegeris, quod cum officii erga Galbam causa
 Romam a Patre Flavio Titus dimitteretur, vulgus adoptionis causa eum
 isthuc abire spargeret. Inclinatorum scilicet ejus ad credendum animis,
 potuisse patrem Flavium, si voluisset, ipsum quoque imperium ambire,
 quod eum omissurum non esse putabant, nisi pollicitatione de filio ad-
 optando ipsi satisfactum fuisset. Illud itaque daturus mihi Lectores
 non nimis difficiles confido, jam illo quo suum fudit oraculum Jose-
 phus tempore, aliquam Vespasianis Augustissimæ in imperio dignitatis
 spem affulsisse, imo & ab aliis plerisque inter illius candidatos eos fuisse
 censitos: nec id sine gravibus omniumque oculos evidentia sua præstra-
 gentibus causis. Quæ si non sufficiunt signa tali quale Josephus edidit
 sine divino afflatu profundendo vaticinio, magis luculenta edi velim, ex
 quibus vel Cicero, vel alius quispiam, quem sua prudentia conjectorem
 effecit, futurum Reipublicæ statum prædicere potuerit.

§. XIII. Ut tamen signis istis omnibus Vespasianis imperium
 promitti, ipsemet sibi Josephus facilius persuaderet, vel persua-
 dere saltem videretur, fateor superstitionem quoque ex parte efficere
 potuisse. Quæ enim libris Judæorum propheticis continentur
 amplissimæ pollicitationes de venturo Rege, omnium terrarum genti-
 bus imperaturo, ex ambitiosæ carnis suæ sententia de Rege cujus regnum
 esset *ἀπὸ ἑκὸς μὲ τῆς γῆς*, Judæi vulgo interpretabantur. Nec sapientio-

D

res

Hist. I, 10.

L. VIII. c. 6.

L. VII. c. 28.

Tacit. Hist.
II, 1.

Svet. Aug.
c. 94.

Cic. Epist. ad
Lentul. & in
libb. de divi-
nat.

Jos. B. J. Lib.
VII. c. 31.
L. VIII. c. 4.

tiores illis erant Romani, ad quos per Sibyllina oracula de Rege illo fama dimanaverat, qui imperium ejus veriti, nescio quibus decretis omnem progeniem humanam, quam annus quo nasciturum eum esse verabantur, daturus erat, nefarie interimere parabant, imo & Ægypto Romanas aquilas inferre nolebant, quod eo facto illius imperium initium habiturum esse arbitrarentur: ut alios motus vaticinio illo apud eos excitatos taceam, de quibus If. Vossius in tr. de oraculis Sibyllinis videri potest. Ex Judæa illum proditurum esse luculente sacra oracula svadebant, quæ etiam tempus quo comparere debebat clarissimis signis ita descripserant, ut dudum illud præterlapsum esse, cœcutientes Apellæ facile animadvertent, qui proinde variis errorum circa eum, quem vaticinia ista designasse possent videri, labyrinthis sese implicabant. Facile igitur tot signa politica, ad portendendum Romanum Vespasianis imperium conspirantia, inducere Josephum potuere, ut ex illis de vaticinio quoque conjecturam faceret, hoc vero in iis, quæ politica prudentia primum ei suggererat, vel confirmaretur ipse, vel alios, quibus conjecturis potior erat illa autoritas, confirmaret. Fl. Vespasiano enim ad imperium ad moto videbat fore, ut ἐκ Ἰουδαίας ἐξερχόμενον omnibus gentibus imperaret, orbisque Dominus constitueretur: vel ut ipse Josephus, Vespasianum affatus, loquitur, γῆς καὶ θαλάσσης καὶ παντὸς ἀνθρώπων ὄψις δεσπότης fieret. Sic ergo supra allatis argumentis probabilibus, ad sensum divinorum oraculorum, longe illustrora licet pollicitorum, cognoscendum, manu quasi se duci existimabat, contraque eadem oracula, perperam licet a se accepta, quæ ex signis istis humana prudentia collegisset, confirmare arbitrabatur. Aut saltem nactum se esse putabat, quo suam vaticinandi audaciam, si eventus forsan non respondisset, excusaret. Imo & cum horum oraculorum divina esset haud dubie origo, non tantum forsan Josephi erat crimen, qui eorum Vespasiano afferens interpretationem, ἀγγελὸν ὑπὸ θεῶν πεμπόμενον se ad ipsum venire jactitabat. Vespasiano autem ea applicare tanto audacius poterat, quod tota Judæorum gens, adesse præfinitum tempus quo comparere Rex ille debebat, sentiens, illo tempore quam maxime in istam spem esset erecta, quam propterea etiam inter causas belli Judaici referri deprehendimus. Sic enim ipse Josephus, id quod maxime Judæos accendebat ad bellum contra Romanos suscipiendum, antiquum fuisse ait oraculum, in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum

rum

rum finibus orbis imperium habiturus. Eumque procul dubio secutus Suetonius dicit; *percrebuisse Oriente toto veterem & constantem opinionem, esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur, quod prædictum ad se trahentes Judæi rebellaverint.* Et Tacitus, *Pluribus, inquit, persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. Vulgus more humane cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur.* Verum istum χρησμόν perperam ὡς οἰκείον ἐκλαβεῖν, hoc est uti Suetonius interpretatur ad se traxisse, vel ut Tacitus; *sibi tantorum fatorum magnitudinem interpretatos esse Judæos, expresse Josephus docet, πολλὰς τῶν σοφῶν πλανηθῆναι περὶ τὴν κρίσιν* asseverans. Quid ergo? ἐδήλα δ' ἄμα τὴν περὶ ἑσπασίαν τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδείχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. Nec mirum cui quam debet videri, Josephum Judæum, in eū prolapsū esse errorem, ut Messiam ex Judæorū genere oriundum non esse putaret, sed sufficere crederet oraculorum divinorum impletioni, si ex Judæa prodiret; cum jam olim quoque, si fides Virorum doctorum observationibus, Herodem alienigenam pro Messia agnoverint ex Judæis nonnulli, quibus Herodianorum inde hæsit appellatio. Imo hodie quoque inter Judæos non desunt, qui Herodem pro Messia admittant, verba illa Jacobi, *non deficiet princeps à Juda, neque Dux de femoribus ejus, donec venerit Schilo,* ita accipientes, ac si cessante principe e stirpe Judæ, necesse foret, ut venturus Messias alienigena esse debeat. Hæc vero de venturo Messia oracula non postliminio Vespasiano a Josepho fuisse applicata, sed jam tum menti ejus obversata fuisse, cum imperium ei auguraretur, ipsummet sub obscure innuere deprehendimus. Dum enim lectores suos ad accipienda vaticinia sua quasi præparat, non somniorum tantum meminit, verum etiam suæ in interpretandis obscure divinitus dictis, sacrisque Judæorum libris peritiæ: quæ quo tendunt quæso, nisi eo quo diximus ea tendere concedas? Et sane nihil vero poterit dici similis, quam ista ætate, qua divina de Messia adventu oracula, magis quam ullo alio tempore frequenter in hominum ore erant, omnium spe ad impletionem eorum propediem futuram erecta, Josephum, qui in religionis suæ mysteriis, utpote sacerdotali genere cretus, præ aliis sapere volebat, ex instituto eorum examen suscepisse. Cumque velo obnubilatos oculos

Hist. V. 12.

If. Voss. de Sibyll. c. 3.

pag. 431.

suos, fatali gentis suæ cæcitati obnoxios haberet, nec paulo ante elapsa tempora accuratius expendere dignaretur, potuit omnino, præsentium temporum signa cum antiquissimis nonnullis Prophetarum oraculis contendens, in eam venire sententiam, Vespasianum, demandandumque ei τῆς οὐρανίου imperium esse, quod illis Deus significari voluerit. Cumque adeo in ista defixissimam mentem haberet, non negem fieri potuisse, ut per somnia quoque ipsi oblata fuerint res, quarum alte impressa vestigia in facultate ejus imaginatrice, assidua seriatimque maxime meditatio reliquerat. Istius enim quale Josepho erat, ingenii homines, agiles nimirum, versuti, consiliis prompti, potentissimam fere istam habere solent facultatem, ita ut nunquam ne dormientes quidem otiosi videantur, assidue illa rerum, quæ interdum animo obversata fuerunt, repetente ideas, quas, ita ferente fortuna, adeo quandoque concinnat apte, ut multa per somnum inveniunt, quæ vigilantibus, obceptorumque per sensus illabentium multitudine turbatis, non æque facile sese obrulissent. Proindeque ea, quæ de somniis suis Vespasiano imperium portendentibus Josephus jactitat, forsitan pro falsis penitus & veteratorie confictis non erunt habenda, quod pro divinis tamen ea non habeamus, non plane nullas causas nobis esse, salvo sapientiorum Judicio, existimamus.

§. XIV. At Vespasianum licet ex hæcenus commemoratis signis imperii fastigio proximum viderit Josephus; id tamen forsitan non æque perspicuum, unde colligere potuerit, exorturos post Neronem, quorum exigui temporis futurum sit ad Vespasianum usque imperium. Expresse enim hoc istis verbis indicavit: Νέρωνί με πῶτε; τί δὲ; οἱ μετὰ Νέρωνος μέχρι σὺ διάδοχοι μένουσιν; Istam itaque vaticinii sui partem, nisi postea demum ei Josephus assuit, ex iisdem natam esse dixerim considerationibus, quibus inductus ipse Vespasianus tamdiu invadere imperium distulit. Nimirum unicuique patebat, extincta in Nerone Cæsarum familia, sine civilibus bellis non facile ipsi ququam esse successurum, cum nemo eorum qui cum imperio apud exercitus essent, illam spem temere e manibus suis elabi esset passurus. Erant autem potentissimi exercitus in Hispania, & Germania, prætorianusque insuper miles, Romæ agebat. Eorum itaque Rectores omnes ad imperium arripiendum festinatos esse, obscurum esse non poterat. Inter eos autem, non adeo longis terrarum intervallis a se invicem,

remo-

remotos, ad manus statim iri perventum, quis dabitaverit? dum firmatis interea rebus suis qui remotiores Orientis partes teneret, mutuis cædibus exhaustis reliquis, superveniret, facillique ad victoriam via, præcipue cum potiores semper Orientis partes creditæ fuerint, grassaretur. Sane tale quid Vespasianum animo agitasse vix dubitem, idque haud obscure inde mihi colligere posse videor, quod simulac de Neronis exitu nunciatum ei esset, suarum contra Judæos victoriarum cursum ipse inhibuerit, ut scilicet ad fortunæ alio vocantis nutus posset esse paratior. Nec postquam de Galbæ successibus certior esset redditus, Judæos belli persequi perrexit, honestissimo quidem usus prætextu, quo tamen Galbæ oblinere oculos ita non potuit, ut quo fine id fieret ille non perspiceret, quem mirum propterea non est, submissis percussoribus Vespasianum amotum voluisse. De istis itaque curæque ac ipse Vespasianus conjecturam paulo ante Josephus non potuerit facere, non video quid impedire debuerit.

Joseph. Lib. V
B. J. c. 29.

§. XV. Si ipsos quoque vaticinii Josephi circumstantias nonnullas denique expendamus, illæ quoque divinitatem ejus valde suspectam reddere videntur. Sane nihil in eo continetur, quod probabili conjectura, quilibet prudentia valens assequi non potuisset. Cur autem si divinitus revelatum omnem familiæ Vespasiani splendorem sibi habebat, Domitianum etiam Cæsarem fore atque Augustum non prævidit, sed Tito tantum imperium auguratur? Scilicet nulla poterat vati persuadere probabilis ratio, Titum juvenem, adamatum omnibus, præpropere fato sine hæredibus decessurum, suumque locum fratri tyranno relicturum esse. Præterea pro somnii divini characterem haberi solet, clarissima ejus evidentia, atque interna quædam & irrefragabilis de divinitate ejus convictio, quæ cum vehementissima quadam animi commotione non esse conjuncta non potest. Hæc vero tanto major fuerit oportet, quod in mandatis acceperit Josephus, quæ per somnum sibi revelata fuerant, enuntiandi, cui mandato internum instinctum accessisse & ipse innuit, & aliorum qui ad hoc munus a Deo vocati fuerunt abunde evincunt exempla, in quorum ossibus flammæ instar furebat divinum istud æstrum, penitissimas eorum medullas absumens. Hæc vero si in se sensit Josephus, unde profunda illa & somniorum suorum & ea enuntiandi mandati oblivio? ita ut frustra omnes Paulini & Gallicani deditioem suadentium apud

eum persuasiones fuerint: Nec quicquam apud eum efficere potuerit Nicanor, donec ista somnia sua, longa quasi oblivione sepulta, in memoriam ipsi redirent. Imò si iisdem somniis suis, certior fuerat redditus saluum se a Romanis in custodia iri detentum, idque immutabilem Dei sententiam ferre, cur fidem pro salute ejus suam obstringentibus credere nolebat? cur de mansuetudine victoris dubitabat? cur ad poenam se evocari metu correptus suspicabatur? An diffidebat promissionibus divinis? at quomodo posset divinas eas esse firmiter persuasus? Quid igitur? ita sane cum somniis ejus comparatum fuisse necesse est, ut coelitus delapsa esse ipsemet ambigeret. Sane hæc alterum quoque ejus vaticinium, quo illud quod ad Vespasianum pertinebat, confirmare nitebatur, labefactare videntur. Nec scio an hujus ex captivis, quod fecisse se ait, idoneos testes producere potuerit, ipsemet enim in vitæ suæ historia narrat, neminem Jotapatæ ruinas evasisse, qui de rebus in ejus excidio gestis testimonium valeat perhibere. Et licet in Belli Judaici historia mille ducentos ex Jotapatensis memoret captivos abducta fuisse, infantium tamen & muliercularum imbellem turbam illos fuisse ipse indicat, virilem ætatem consecutos omnes interemtos esse memorans. An vero mulierculis & infantibus sua de Jotapatæ obsidionis duratione, propriaque captivitate prælagia enarrasse probabile sit Josephum, & an ab iis fide dignum illis præstari potuerit testimonium alii viderint,

§. XVI. Tanta vero fiducia Josephum, vaticinia sua, probabilibus licet tantum innixa rationibus, apud Vespasianum protulisse, mirum esse non potest, cum nullum in omnium temporum monumentis extet exemplum vatis, qui grato hujusmodi mendacio Principis offensam incurrerit. Saltem Josephus deteriorem reddere conditionem suam, utcunque fefellisset, non poterat, cui præsentissimum famæ vitæque periculum si Neronis manibus traditus fuisset, erat adeundum. Et sane levioribus multo fundamentis superstruere solent amplissima vaticinia; qui isto adulationis genere ad Principum sese insinuare, favorem satagunt, quod recentissimis exemplis facile esset monstrare, si id e re nostra nunc esse arbitraremur. Id tamen non monere non possumus, fieri quoque sæpe, ut hujusmodi vaticiniis, aliqua ratione suffultis, ad audenda eo fortius nonnunquam Principes in Republica viri impellantur, quæ segnius forsan vel plane non absque

iis aggressi fuissent. Atque adeo callidos homines, quorum interest eos ad hujusmodi facinora prorueri, eo audacius quandoque fingere, modo exoptato fine suo ista ratione potiantur. Et forsitan non plane nihil hoc Josephi quoque vaticinium, pariter ac reliqua Flavio Vespasiano in Judæa, præcipue ad aram Dei Carmelitici, & filio ejus Tito in Ægypto circa ea tempora oblata, ad accendendum ejus animum, ut denique auderet, fecerunt, a callidis propterea hominibus ex signis quibusdam probabilibus conficta. Istiusmodi autem præfagiis uti respondet nonnunquam eventus, ita haud raro etiam ea destituit. Insigne præ cæteris est exemplum quod superioris seculi nobis suppeditat historia. Præceperat jam imo penitus devovaverat spe sua Catholici Regis titulum atque amplissima regna Ferdinandus, Caroli V frater, cum Ministrorum quorundam suasu, avus eorum Ferdinandus Catholicus, mutato testamento, de spe illa eum rursus dejiceret. Ne tamen ditissimæ illius hæreditatis spem, post fata Ferdinandi Catholici penitus abjiceret, quod minime e re sua & proceres quidam Arragoniæ, & Ferdinandi Austriaci domestici esse putabant, vaticinio quodam illa erat renovanda. Quid itaque illi? hominem subornant, qui Eremitæ indutus habitu Principi inter venandum sese offerret, Deique nomine Monarchiam Hispanicam polliceretur, post effusa autem oracula sua, qua erat calliditate, tam caute oculis ejus se subduceret, ut non hominem sed spectrum quod in tenues abierit auras princeps sese vidisse arbitraretur. Verum ubi nunc illius promissionis spes, nisi in serenissimis posteris maximi Principis, quod optamus omnes, vaticinium illud denique implendum esse dicamus? Ast & alia hujusmodi exempla quamplurima longo ordine possent enumerari; cum tamen id argumentum non æque omnibus gratum fore facile prævideamus, & nos quoque implevisse tantum quantum perdere constitutum fuerat chartæ animadvertamus, gradum hic sistere placet. Suppleat interea Lector quæ de materia ista, delicatissime certe, si ulla alia tangenda, moneri forsitan voluisset, ex doctissimi Viri Petri Bælii

Lexico Critico, (æternitate digno opere) loco quo de Christophoro Kottero, ejusque futura prædicendi facultate differuit.

Varillas Pratique de l'Educ. des Princes L. IV. p. 211.

max. not. C.F.
G. H. T. II. p.
246. seqq.

ΕΠΙ-

ΕΠΙΜΕΤΡΑ

I.

Nugantur qui naturale esse putant donum Propheticum, melancholicis maxime proprium, utut a natura ad illud recipiendum magis aptus natus unus altero esse possit.

II.

Futuros rerum eventus ex signis politicis conjectura probabili assequi mortalibus datum est, atque isti vaticinandi facultati acquirendæ historiæ imprimis conducit studium. Ex Astrologorum vero commentis nihil plane, ne probabili quidem ratione de futuris discas.

III.


Proxime ad autochiriæ crimen accessit sociorum Josephi facinus, qui sorte præeunte in mutuas cædes proruerunt.

IV.

Vix est quod dubitemus Hegesippi nomen ex corrupto Josephi nomine ortum esse, atque adeo libros qui de excidio Hierosolymitano sub Hegesippi nomine circumferuntur, nihil aliud esse, quam liberio rem operis Josephi de bello Judaico translationem.



S
D
DO
RA
SOR
CA
RI &
SIST
PRIN
V



ENDO & MA-
LO LEH-
D,
OGO VETE-
PSIENSI PROFES-
ULATUS MISENENSIS
D LIPSIENSES PASTO-
INTENDENTI, CON-
I, COLLEGII MINORIS
DEMIAE DECEMVIRO.
T SINGULIS OFFI-
ALITER
K SALUTARI
ISCEPTORI
OLENDO,
ESTANDI CAUSA
CADEMICAS
ITATE EJUS VOTO
RET
OLEARIUS.



qu
ad
Et
ca
liu
ju
&
H
po
r
c
p
e
S
&
v
o
r
f

